





DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!

ENODATIO

LEG. XI. XII. TIT.

PANDECTARUM

POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ

convenientibus illustrata, & ad disputandum

In Celeberrimâ Academia Wittebergensi,

Ex decreto atq; Authoritate Amplissimi

Collegij Juridici proposita,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO

de Pezlinovez J. U. D.

Respondente

MELCHIORE DREILINGIO

Rigensi,

Habebitur

Ad diem Septembris,

horis & loco consvetis.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

ANNO MDC XLVI.

OPTIMO MAXIMO

JEHOVAE
ELOHIM,

Omnium,

Creatori, Redemptori, Sanctificatori,

Regi Regum, ac Domino
Dominantium,

Patri nostro clementissimo, benignissimo,

Studij Juridici proventus

In nominis ipsius gloriam,

&

Studiorum suorum progressus felicissimos,

devotissima mente

Omniq; reverentia ac pietatis cultu

Quam-humilimè O. C.

Melchior Dreiling.

I. N. D. N. J. C.

Lex XI.

*Id quod nostrum est, sine facto nostro ad
alium transferri non potest.*

ID quod nostrum est.] Animadvertendum, id propriè nostrum dici in stricta verbi significatione, quod perfectè ita in dominio nostro est, ut avelli jure nobis non queat; In quo non modo pars ulla proprietatis, sed nec usus fructus, usus habitationis, aut etiam pignoris ullum jus ad alium pertinet. Deinde quod pleno jure, quod non sub ullà lege, conditione aut modo, sed purè & omnimodò nostrum est: Etiam si generaliter pignori obligatum est alteri, dum tamen ipsi solvendo simus. Dominij enim effectus hìc est, ut quod jure quisq; tenet, id ipsi invito auferri non possit. Unde etiam illud cujusq; non est, quod ex casu ipsi auferri potest. *l. omnes actiones 139. §. 1. D. h. t. Cujus rei exemplum reperitur in l. ult. §. penult. & ult. C. con. mun. de legat. ubi Imp. rem sub die, vel conditione legatam hæredis esse negat, quoniam ab ipso Legatarius cedente die vel existente conditione illam auferre potest. adde l. non quocunq; 82. D. de legat. II* Ita etiam res cum pacto de retrovendendo emptæ emptoris esse non videtur, cum auferri eidem possit, simul atq; pretium à venditore ejusvè hærede acceperit. *l. si fundum 2. C. de pact. inter empt. & vendit. composit. add. text. notabil. in l. si rem meam 20. D. de solutionib. & liberationib.* Res itaq; nostra est, & dicitur quæ ex casu nobis auferri non potest. Porro olim quidem aliud fuit Dominium, quo res nostra esset jure Quiri-



cum: aliud, quo in bonis nostris tantum esse dicebatur. Quod si enim naturaliter nostrum factum erat, tantum dicebatur esse in bonis nostris. Quod vero civiliter: hoc est, solenni suo ritu & legitimo aliquo actu, cujus generis transferendorum Dominiorum ritus Romani olim multi fuerunt; veluti mancipatio & nexus, (*de quibus alibi.*) in nos translatum erat, erat nostrum Jure Quiritum. Quod verò utroq; modo, pleno jure id nostrum esse dicebatur. Verum Imperator Justinianus hoc discrimen in *l. unica C. de nud. Jure Quirit. tollend.* abrogavit atq; sustulit. Cæterum in latissimâ significatione Vocabuli **NOSTRUM** esse accipimus, quando in numero rerum nostrarum non modo quid pleno jure habemus, sed etiam id quod bona fide possidemus, *text. notab. in l. bonorum 49. ibi: Sed & si bonâ fide à nobis possideantur, &c. D. de U.S. add. arg. §. nam si ex justâ causâ. 4. ibi: & ita vindicatur suam esse Inst. de Actionib. Gail. lib. 2. observ. 26. n. 3.* Ut & quod cum alio commune habemus, & in quo usus fructus ad alium pertinet, vel in quo Jus etiam expressi pignoris competit *l. cum sua 71. D. de legat III. l. eadem 72. D. eod. l. pupillus: 239. §. Verbum. 9. D. de U.S. l. statu liber. 38. §. Communes 1. D. ad L. Falcid.* Multò magis id nostrum dicitur quod sub aliqua lege fundi (puta) extra familiam non alienandi *l. voluntas 4. C. de fidei commiss. l. filius familias 114. §. Divi Severus & Antoninus. 11. junct. §. penult. D. de legat I. Item sub lege commissaria distractive in diem addicti. dict. l. statu liber. 38. §. ult. D. ad L. Falcid. l. 1. D. de in diem addict. & tot. titul. de L. commissor, adde Petr. Fabr. ad l. omnes actiones 139. pr. in b. t. n. 12. & 13.*

Sine facto nostro. Per factum hîc intelligimus traditionem cum voluntate nostra conjunctam, præcedente aliqua justa causa ad translationem, Dominiij idoneâ, quales sunt donatio, stipulatio, emptio, legatum &c. *text. notabil. in l. nunquam nuda 31. in princ. D. de A.R.D.* Neque enim voluntas nostra sine facto nostro, neque factum sine voluntate, neq; cum voluntate nudum, & quod non aliqua justa causa præcesserit, neq; rei alienæ, quæ nostra non est, vel etiam rei nostræ proprietatem & Dominium transferre potest. Voluntate namq; nostrâ sine facto, non transit rei nostræ ad alium proprietas: nec enim nudis pactis & conventionibus

nibus, quæ nudo & solo consensu constant, res aliena efficitur, antequam à nobis tradatur *l. traditionibus 20. C. de pact.* Eodem modo factum, id est, vera & naturalis vel simulata & ficta traditio rem non transfert, nisi & voluntas quoq; & animi destinatio, & nisi vera etiã & certa scientia tradentis & accipientis accesserit, Nam in omnibus rebus quæ Dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraq; parte contrahentium *l. in omnibus. 55. D. de O. & A.* Ideoq; rei commodatæ, licet ea tradita fuerit, & possessionem & proprietatem retinemus, *l. rei commodata 8. D. commodati,* & similiter rei depositæ proprietatem apud deponentem manere, imò & possessionem ipsam, docet Iustus Florentinus *in l. licet 17 § rei 1. D. depositi.* Præterea traditioni ad eò contrahentium affectum & voluntatem adesse convenit ut sine isto illa sit irrita & nullius momenti: Etenim non tantum aut vi aut metus causâ factam traditionem Prætor non habet ratam *l. si vi vel metu: 3. cum duab. LL. seq. C. de his quæ vi metusvè causa gesta sunt. l. 5. malier 21. §. qui possessionem 2. D. eod.* Cum nihil consensui, quod bonæ fidei iudicia sustinet, tam sit contrarium, quam vis atque metus *l. nihil tam consensui 116. in pr. b. t.* Sed etsi quis errans procuratorio, tutorio, aut alieno deniq; nomine, rem suam quasi alienam tradiderit, nulla est alienatio, neq; propter illam traditionem ab illo recessit Dominium: quia nemo errans rem suam amittit *text. notab. in l. si Procurator meus 35. D. de A. R. D.* nec possessionem rei suæ *l. si me in vacuum 34. D. de A. P.* cum consentire non videatur *d. l. nihil tam consensui 116. b. t. l. ad probationem 23. D. de locat. & conduct.* Errare autem & eum dicimus qui metuit, quoniam in metu inest ignorantia *l. item si cum exceptione 14. §. in hac actione 3. D. Quod met. caus:* Errans verò non consentire, non magis quam ignorans rectè dicitur: quoniam ut hujus ita illius nulla est voluntas *l. cum testamentum 8. C. de I. & F. ignorant. l. non idcirco 9. C. eod. l. sed hoc ita 26. D. de aqua & aquar. pluv. arcend. & non consentiunt qui errant, inquit Julianus Iustus l. consensisse 2. in princ. vers. ceterum D. de judiciis. adde l. si per errorem 15. D. de jurisdictione.* Præterea traditionem vel factum nostrum præcedat causa, necesse est, eaq; causa, ex quâ res in totum à nobis abscedere consuevit:



suevit: Quemadmodum supra demonstratum est. Et denique factum etiam, cui & iusta causa & voluntas tradentis accessit, non semper transfert Dominium; id est non aliter, quam si res ejus est, qui eam tradit *arg. l. nemo plus 45. D. b. t.* Ad hoc igitur ut per traditionem Dominium rei transferatur plura sunt necessaria. Et quidem (1) Ut tradens sit Dominus rei traditæ *§. per traditionem 40. Inst. de R. D. l. traditio 20. D. de A. R. D.* Si enim non est Dominus non potest transferre Dominium, quod non habet *d. l. nemo plus 54. D. b. t.* nisi tradatur ab alio nomine vel voluntate Domini *l. quâ ratione 9. §. nihil autem interest 5. D. eod.* Videtur enim ipse tradere, cum ejus voluntate alius tradit, cui vel id specialiter mandaverit, vel negotiorum administrationem liberam permiserit *d. l. quâ ratione 9. §. hæc quoque res 4. D. dict. tit. junct. §. Nihil autem interest 43. Inst. de R. D.* Ut videtur accipere is cujus voluntate alius accepit *l. quarundam 51. versic. sed videamus l. 1. §. Si jusserim 21. D. de acquirend. possess.* (2.) Ut tradens seu Dominus habeat liberam administrationem suorum bonorum & sic habilis sit persona ad transferendum Dominium. *Furiosus* enim & *pupillus* item *prodigus*, cui bonis interdictum est Dominium rei traditæ in alium non transferunt *l. obligari 9. D. de aut. tutor. l. 15. cui bonis 6. D. de V. O.* (3) Ut præcedat titulus seu causa habilis ad translationem Domini *§. per traditionem 41. vers. Sed siquidem Inst. de R. D. l. nunquam 31. in princ. D. de A. R. D.* Nuda enim traditio sine causâ Dominium non transfert *d. l. 31. idq; ad differentiam commodati & depositi, ubi tradens sperat se recepturum, nec sunt tituli habiles ad transferendum Dominium add. Reinhard. Bachov. ad d. §. per traditionem. Inst. de R. D. num. 1. (4.)* Ut res non sit prohibita alienari, ut res Sacra *§. Sacre 8. Inst. de R. D.* Item fundus dotalis *tot. tit. de fund. dotal.* (5.) Si ex contractu *empt. & vendit.* res traditur, necessum est, ut præter consensum pretium sit solutum *§. sed & certum 1. Inst. de empt. & vendit. l. inter patrem 2. §. sine pretio 1. D. de contrab. empt. add. Henon. disp. 4. Inst. contrav. 25. (6.)* Ut res sit corporalis *d. §. per traditionem. num. 1. Inst. de R. D.* Quia in incorporalibus patientia loco traditionis habetur, sicuti is dicitur tradidisse servitutem, qui patitur me ire, agere, uti, frui, &c. *l. quoties*

l. quoties 20. D. de servitutibus. l. 1. in fin. D. de servit. predior. rustic. l. servus 43. §. Incorporales 1. D. de A. R. D. Petr. Fab. hic n. 9. Schneidw. ad §. per traditionem 41. Inst. de R. D. n. 3. add. Hippolyt. de Collib. hic. Bornch. Neldel. & al. Regulistas ibid. Illud quoq; sicco pede prætereundum minime est, *Philipp. Math. ex n. 15. & seqq.* subjicit: traditionem nimirum non eam solum intelligi, quæ verè ac corporaliter, res mobilis de manu in manum transfertur, aut rei, si immobilis ea fuerit, vacua possessio offertur: sed illam quoque traditionem hinc locum habere, quæ fictione tacitoq; juris intellectu nititur, ac vulgo imaginaria nuncupatur: cujus exempla in jure non pauca reperiuntur. Sic trabes traditæ videntur quas Emptor signaverit *l. quod si neg. 14. §. 1. in fine D. de pericul. & commod. rei vendit.* Nisi ante signaverit, quam emptæ essent, ac nondum perfecta venditio secuta fuerit *l. 1. D. dict. tit. & vina tradere videtur, qui cellæ vinariæ claves emptori tradit l. 1. §. si jusserim 21. D. de acquirend. vel amit. possess.* sed & qui post perfectam venditionem signat dolium, quasi tradita sibi accipere videtur *arg. d. l. 1. D. de peric. & commod. rei vend.* Præterea mercium in horreo repositarum transfertur proprietas ad emptorem, simul ut ei venditor clavis horrei tradiderit *text. notab. in l. qua ratione 9. §. item si quis merces 6. D. de A. R. D. §. item si quis merces 45. Inst. de R. D. l. clavibus 74. D. de contrab. empt.* His omnibus casibus perinde rei nostræ quæ tradita fingitur & creditur, Dominium transferimus, atq; si revera factum nostrum interveniret, *add. Dn. Carpzov in Jurisprud. forens. part. 2. c. 14. def. 16.* Quinimo interdum patientia pro traditione est ut in rebus transferendis & cæteris in corporabilibus rebus quæ tangi atque adeo revera tradi nequeunt, uti superius dictum est. *Sed jam queritur an ad Imaginariam traditionem ipsius rei præsentia requiratur: hoc est, an Imaginariæ traditioni ita demum locus sit, si res in conspectu contrahentium versetur? Cujac. lib. 4. obs. 3. tradit,* quando Emptor, rem sibi venditam, ex causa aliqua antecedente non tenet, traditionem fictam seu Imaginariam non admitti; nisi in re præsentis uterq; consenserit; Ubi autem Emptor rem tenet (*puta ex causâ depositi vel commodati*) fictam traditionem induci, etiam si

etiam si in re præfenti ambo non consenserint. Quando igitur
aliàs res præfens non est, neque oculis contrahentium cernitur,
Imaginaria traditio admittenda non est: Verum unicum hunc
casum saltem exceptum esse vix asserendum videtur: cum tradi-
tione instrumenti ad hoc, ut mancipia etiam in instrumento
contenta tradita intelligantur, præfentia mancipiorum non re-
qui ratur: siquidem tradito instrumento, mancipia quoque tradi-
ta censentur, etiam si longissimè absint, neque etiam ab eo, cui in-
strumentum traditur, teneantur *arg. l. 1. C. de donationib. & accus.*
ibidem ad vers. traditis: simile exemplum reperitur in cautione,
quæ si reddita fuerit, fors quoque in ista cautione comprehensa
remissa censetur, nullam aliam ob causam, quam quod cautio
propter obligationem fortis restituendæ conscripta est; atque
hinc ipsam obligationem respicit, quin potius eadem cum illa
esse fingitur *l. 2. §. 1. D. de part.*: Et ita huic assertioni non adver-
satur *l. clavibus 74. D. de contrahend. empt.* quia in clavibus, jus mer-
cium ita non consistit, sicuti Jus mancipiorum in Instrumen-
to continetur, & fors quoque in cautione comprehenditur: si-
quidem claves aliæ sunt ab horreo, & multò magis aliæ à merci-
bus in horreo repositis, atque ideo ut merces traditæ intelligantur,
claves in præfenti traditas esse oportet. Et licet instrumentum
quoque aliud sit à mancipiis, fictione tamen juris omninò cum
mancipiis idem existimatur, quia de mancipiis & propter man-
cipia factum est. Mancipia igitur ab instrumento naturà qui-
dem diversa sunt, sed Jure eadem, quoniam mutuò sese afficiunt
& respiciunt. Quamvis vero claves etiam horreum respiciant,
nunquam tamen respiciunt merces in horreo contentas, quippè
quæ in horreo, & esse & non esse possunt *Philipp. Matth. n. 23. 24. &*
seqq. Dissent: videtur Hanon: hic disp. 1. 3. quest. 1. & ibid.

Ad alium transferri potest. Usus & effectus dominij in eo potissi-
mum consistit, ut quod jure tenet quisque suum, id ab eo invito au-
ferri non possit. Cum enim quilibet sit rei suæ optimus modera-
tor atque arbiter *l. in re mandata 21. C. mandati vel contra.* rectè
IUSTUS hinc infert id quod nostrum est sine facto nostro ad
alium transferri non posse. Quod si igitur nummos meos quis
alte-

alteri mutuo det, vel fundum meum donet, pigneretvè, aut
Servos meos manumittat, nisi factum meum accesserit, nec
mutuum, nec donatio, nec manumissio existit *l. si eum servum*
23. D. de reb. credit. l. Arist. ait. 18. § ult. D. de donationib. Hyppolyt. &
Collib. hic. Distinctis namq; Jure Gent. Dominis *l. ex hoc jure*
5. D. de l. 5. § factum est, ut quisq; quod suum est, ad alium trans-
ferre vel etiam ipse retinere possit. Unde Jcti responderunt,
cum pro emptore rem non possidere sed prædonem esse, quã
eam emit, nec traditam accepit, & absq; voluntate vendito-
ris nactus est possessionem *l. si ex stipulatione. 5. D. acquirend. vel*
amittend. possess. Verum L. hanc præsentem non parum infir-
mare videtur usucapio, quæ rerum dominia invitis & ignoran-
tibus Dominis aufert: quam ob causam quoque Imperator
Justinianus in *Nov. 9.* eam impium præsidium appellat. *Resp.*
Usucapionem tum ob supinam negligentiam Dominorum res
suas debito & statuto à lege tempore non petentium, tum et-
iam bono publico introductam esse, ne videlicet rerum domi-
nia in incerto & deserta jaceant. *princip. Instit. de Usucapionib. l. 1.*
D. eod. l. usucapio. § in princ. D. pro suo. Neque etiam est quod is,
qui rerum suarum Dominium hoc modò amisit, de injuriã ali-
quã conqueratur, cum leges satis temporis ipsi ad inquirendas
repetendasq; res suas concesserint: sua ergò socordia adscri-
bat quod intra definitum tempus res suas non repetijt. cum *ex*
l. non enim 16. D. ex quibus caus. major. 25. ann. in integr. restit. Scire
debuerit negligentibus jura non subvenire, nec damnum senti-
re eum videri, qui ex suã culpã dominum sentit *l. quod quis 203.*
D. h. tit. Qui enim dominum ex suã culpã sentit alii imputare,
non debet. Unde nec Juris auxilium is implorare potest, ut
damnum illud sibi resarciatur, cum ipse sibi obfuerit, nec juris
ratio ferat, ut alteri alterius culpa noceat *add. c. damnum 86. de*
R. Jur. in 6. Hinc Scævola in *Princ. l. Imperatores 3. D. de trans-*
actionib. neminem negligentiam suam ad alienam injuriam
referre debere scribit. Ita etiam socius reparationem damni,
quod suã culpã sentit, de communi non consequitur *l. cum duob.*
52. §. ult. D. pro Socio. Præterea, cum nihil æquitati naturali ma-

B

gis



gis congruat, quam voluntatem domini volentis rem suam in
alium transferre ratam haberi § per traditionem. 41. *Inst. de rerum
divisione*. Mirum non est quod is qui rem suam patitur usurari,
in alium FACTO PROPRIO VOLUNTATEM inducente,
eam rectè alienare censeatur. *C. alienationis 28. D. de V. S. & ibid.
Gædd. n. 9. vid. omninò Reinhard. Bachov. ad princ. Instit. de Usucapio-
nib. n. 2.* Neque etiam Justinianus Usucapionem hanc in Nov. 9.
Improbat; loquitur enim eo loci de Ecclesia, ejus res non nisi
100. annis vult præscribi, tam à bonæ quam à malæ fidei posses-
sore, ne amissa breviori præscriptione ex parte illius, qui bonâ
fide rem Ecclesiasticam possidet, etiam malæ fidei possessor eo-
dem præscriptionis præsidio se tueretur, quod facile evenire
possit, cum scientia non præsumatur, ac difficillimè etiam
maximo post tantum temporis Intervallum probetur *arg. l. ve-
rius 21. D. de probat. §. non solum 4. Instit. de legat. Arr. Pinell. ad auct.
nisi tricennale C. de bon. Matern. n. 40. Gædd. ad l. 77. de V. S. n. 6. & hilip.
Matth. hic n. 44.* Alij aliter. *vid. Duarenus de Usucap. c. 1. Cisner.
ad. l. 1. D. de Usucap. n. 13. add. Paul. Bereum in dissert. Academ. §.
thom. r. Quest. 1. Bronch. Cent. 4. assert. 2. Arumn. exercitat. 6. th. 1.
Donell 5. Comm. 30.* Cæterùm regula hæc officium perdit quan-
do publica utilitas sæpe svadet, ut quod nostrum est, sine facto
nostro ad alium transferatur. Principem enim ex justâ causâ
Dominium rerum privatarum, seu res privatorum auferre &
jus alteri quæsitum tollere posse: communi Dd. calcul. com-
probatum est *arg. l. item. Si verberatum 15. §. pen. D. de R. V. & l. Lu-
cius 11. D. de evictionib. Hartman. Pistor. lib. 2. Quest. 40. n. 43. Gail. lib.
2. obs. 56. in pr. & ibid. citat. Canonist. atq; Dd.* Justa autem causa
dicitur favor publicæ utilitatis *arg. l. Barbarius 3. D. de Offic. Præf.
& ib. 7. as. n. 26. Gail. d. l. n. 1.* Hinc Princeps publica utilitate sva-
dente, domum Subditi sui demoliri, aut ejus prædium, aut fun-
dum, urbi vel civitati propinquam, pro dilatandis fossis civi-
tatis, vel extruendo propugnaculo, aut aliâ necessitate publica,
occupare, Item suburbia destruire, vel incendio, ne hostis eò
se recipiat, consumere potest *l. si quando 9. l. edificia. 14. C. de oper.
publ. l. Item si verberatum 15. §. Item si 2. D. de R. V.* Favor enim
publicus

publicus privatae utilitati praefereendus. text, notabilis in O. 1. lib.
2. Tit. 52. in pr. ibi. similiter Reipub. bonum statum & dignita-
tem Imperii omnibus privatis commodis praepone. l. 5. quis
grave §. utrum D. ad SGT. Sylan. l. ult. C. de Princip. l. unic. §. fin. C. de
caduc. fillend. Bart in l. Quemadmodum C. de agricol. & censit. add.
Gail d. l. 3. Dec Hippolyt. & Collib. & alij Regulist hinc. Accedit &
haec ratio quod publicae utilitatis gratia à regulis Juris commu-
nis saepius receditur, multaq; permittuntur, quae alias sunt in-
terdicta & prohibita l. ita vulneratus §. estimatio 2. vers. multa,
ibi multa autem Jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate
communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. D. ad L.
Aquil. c. Abbate 3. vers. Et licet aliquibus. circa finem ibi. praesertim
cum nonnulla pro utilitate communi &c. de Sent. & re Judic. in 6. l.
Barbarius 3. D. de offic. Praetor. Sine justa verò causa Jus alteri
quaesitum Princeps auferre non potest. Etsi enim Princeps le-
gibus solutus esse dicatur l. princeps §. D. de LL. totius mundi,
Dominus l. pen. D. de L. Robd. de jact. ejusque placidum legis vigo-
rem habeat §. Sed & quod Princeps 6. Inst. de I. N. G. & Civ. l. 1. D. de
Constit. Principium. Attamen Potestas Principis infinita esse non
debet, neque ipsi quidvis sine causa in jura subditorum dicere,
Constat enim ipsius legis Regiae, qua Princeps legibus solutus
est, (vid. Rimer. decad. 1. Assert. 7.) caput hoc fuisse, ut quodcun-
que ex Reipublicae usu majestateque divinarum & humanarum
rerum esse censeret, id tantum eifaceret Jus, potestasque ef-
set, adde Franzk. exercitat. quest. 8. Bachov. in animadversion. ad
Trentl. Vol. 1. disputat. 1. tb. 6. l. A. & S. praeterea notum est illud
Theodosij, **PRINCIPIS AUTHORITAS EX JURIS AU-
THORITATE PENDET.** l. digna vox. 4. C. de LL. Hippolyt. &
Collib. hinc. eò etiam tendunt l. 4. D. de natalib. restitueud. l. caus. 16. C.
de transactionib. l. ult. C. sentent. rescind. non poss. l. 2. & 3. l. pen. C. de
precib. Imperat. offer. l. jubemur 10. C. de SS. Eccles. l. ult. C. si cont. jus vob
util. publ. fuer. alius post. Neque aliquid negotij facere possunt
rationes, quibus utuntur dissentientes. Etenim Princeps Do-
minus mundi dicitur, non eà ratione, ut dominium singularum
rerum privatarum sibi arrogare possit. Sed omisis aliis respon-



tionibus, quæ passim ad *d. l. penult. D. de L. Robd. de jact.* apud Au-
thores extant respectu factionis ac protectionis, quâ super mun-
do habere videtur, Dominium mundi ipsi adscriptum est. *Dd.*
communit. Nec quodvis placitum principis vigorem legis ha-
bet, sed illud demum, quod Juri ac legibus consentaneum est,
nec in læsionem alterius tendit. *vid. Covarruvias lib. 3 var. reso-*
lut. c. 6. n. 8. Ar. Pinell. ad rubr. C. de rescind. vendit. part. 1. c. 2. n. 24.
Fachin. lib. 8. contr. Juris. c. 63. Johan. Köppen in decision. quest. 59.
Zus. lib. 2. Consil. 10. n. 7. Gail. lib. 2. obs. pract. 56. n. 9. Quod autem
superius dictum est, Principem ex justâ causâ privato rem suam
auferre posse, id etiam procedere existimamus; quatenus, pre-
tium Domino pro re oblata solutum & restitutum est. *arg. l.*
venditor 13. §. 1. D. Commun. prædior. l. si quis sepulchrum 12 in princ.
D. de religiof. & sumptib. Imp. l. fin. C. de annon. Hoc enim æquitati,
rationi, Justitiæq; consentaneum est, ne subditus absque sua
culpa invitus & precio careat *Sixtin. de regalib. lib. 2. c. 13. sub. n. 78.*
Felin. cap. inter quatuor X. de major & obedient. n. 6. Pertinet enim
ad officium boni Principis, curare ne dilectionem proximi of-
fendat, aut justiciam violet, neve tempestatis potius quam po-
testatis plenitudine utatur. *Zusus vol. 2. Consil. 10. n. 7.* Ubi ita
scribit: Scio boni Principis ppterstatem ad tutelam subditorum &
ad justiciam afferendam esse amplissimam: Cæterum ut injuria
subditis fiat, illic principis potestatem non agnosco, Sed ty-
ranni. Id enim dicimur posse quod honeste possumus *c. fin. §. fin.*
de Rescript. in 6. c. faciat homo 22 quest. 2. glos. in Clem. supr. de V. S.
in verb. poterit. Nam quæ lædunt pietatem, existimationem,
verecundiam nostram & generaliter quæ contra bonos mores
fiunt, nec facere nos credendum est *l. filius 15. D. de Conditionib.*
instit. c. non est obligatorium 58. de R. Jur. in 6. & Princeps à DEO
constitutus est, ut faciat Justiciam & Judicium, *1. Reg. 10. vers. 9.*
Proinde si fines & Terminos Justitiæ excedat, peccat contra or-
dinationem DEI & principis Nomine Indignus est *text. notabil.*
in c. scelus quod Lotharius Rex 2. quest. 1. ibi. si tamen rex veraciter di-
ci possit & c. add. Gail. dict. lib. 2. observ. pract. 56. n. 11. & 12 Niell. in
disp. feudal. 2. Thes. 3. lit. D. ubi omninò vid. Bronch. cent. 2. assert. 63.
Denique

Denique regula hæc locum habere non potest, id existimant, quando cum Fisco negotium nobis est, cui res etiam sine facto nostro protinùs acquiruntur, ut si res vacantes fiant, aut ex causa poenali, vel publica quid alicui auferatur, quamvis tunc quoque factum aliquod videatur intercedere. *Vid. Petr. Fabr. hîc. num. 34. in princ. Hippolyt. à Collib. hîc in fin. per l. Imperatores 34. D. de l. Fis. l. commissa 14 D. de publican. & vectigalib.*

Lex, 12.

In Testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

In Testamentis] Testamentum est voluntatis nostræ iusta Sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult, *l. 1. D. Qui testament. facer. poss. Schneidw. ad Tit. Instit. de Testament. ordinand. Cap. quid sit Testamentum. num. 4. Wesenb. Qui Testament. jur. poss. Treutl. vol. 2. disput. 10. th. 1. Giphân. disput. Instit. 13. th. 3. & Dd. Communit. Testamentorum olim tria erant genera. Unum quod Calaris comitiis coram populo fiebat, ut pleræque omnes solennes actiones *Gell lib. 15. cap. 27. Rosin. antiq. Roman. lib. 6. cap. 1. Alterum* cum in prælium exituri essent, quod procinctum dicebatur *Rosin. antiquit. Roman. lib. 10. cap. 1. Accessit & deinde Tertium* genus, quod dicebatur per æs & libram: scilicet quod per mancipationem, id est Imaginariam quandam venditionem agebatur. *§. 1. Instit. de Testament. ordinand. vid. Bachov. & Dd. ibid.* Cum enim sæpè extra tempus Comitiorum, quæ tantùm bis in anno indicebantur *Theoph. ibid.* homines obire contingeret, Inventum est genus Testamenti, quod per Imaginariam venditionem condebatur, quinque testibus & libri pende, civibus Romanis Puperibus præsentibus, & eo qui familiæ, id est, hæreditatis emptor dicebatur, *Rosin. ex L. XII. Tab. Lib. 8. cap. 6.* Sed hæc nomina Testamentorum ad Jus Civile referebantur. Aliud autem deinceps Testamenti genus ad evitandas has Juris antiqui subtili-*



litares prætor per subscriptionem septem testium invenit: Ut si quis Testamentum septem testium signis consignari curasset perfectum esset iure honor: testamentum. §. *Sed prædicitur 2. Instit. dict. tit.* Sed genera hæc Testamentorum, jam pridem in desuetudinem abierunt. Nisi quod solennitatum vestigia adhuc manent. Nam ex iis alia duo fluxerunt, quæ constitutionibus Principum confirmata, hodiè sunt in Usu. Estque aliud militare & aliud paganum, quod fit domi extra militiam; cujus duæ sunt species. Aliud enim testamentum nuncupativum appellatur, quod sine scriptis fit: aliud vero in scriptis quod alias solenne Testamentum vocatur. Testamentum solenne seu in scriptis dicitur, quando testator suam Ultimam voluntatem in Scripturâ exprimit, adhibitis septem testibus, qui huiusmodi Scripturæ subscribunt, & Sigilla sua apponunt, ita ut in solennitatibus, Scriptura, subscriptione testium, & Sigillorum impressione consistat: Unde etiam in scriptis dicitur, quia sine prædictis solennitatibus testamentum solenne valere non potest. *l. hac Consultissima 21. C. de Testament.* Ad formam autem solenniter testandi requiritur. (1) Ut testator sit talis persona, quæ habet testamenti factionem activam, *l. si queramus 4. D. Qui Testament. facer. poss.* (2) Ut expressis verbis instituatur Hæres *l. jubemus 19. Cod. eod.* Ex Institutione enim hæredis testamenta vim accipiunt, Ita ut caput & fundamentum totius testamenti, hæredis institutio dicatur. §. *ante hæredis 34. Institut. de Legat.* & debent esse tales personæ quæ possunt institui *de quib. tit. Instit. D. & C. de hæredib. instituend.* (3) Ut redigatur voluntas testatoris in Scripturam Privatam, manu ipsius testatoris vel alterius scriptam *l. hac Consultissima 21. C. de Testament.* (4) Ut testator, ostendat illam Scripturam testibus, & dicat in illa contineri suam ultimam voluntatem. *dict. l. 21.* (5) Ut adhibeantur septem testes, Cives Romani ad hoc specialiter rogati. §. *Sed cum paulatim 3. Institut. de Testament. dict. l. hac Consultissima. l. hæredes palam. 21. §. in Testamentis 2. D. Qui Testament. fac. poss. & ut in præsentia testatoris l. si non speciali quod C. de Testament. subscribant d. l. hac Consultissima:* nec unus scribat pro alio, sed septem propria manu *l. Singulos 30. D. eod.* Nisi sint in tali loco,

loco, in quo tot literati non reperiuntur; Nam tunc alius pro alio subscribere potest, *l. fin. C. eod.* & consignent propriis annulis, vel alienis si proprios non habent. *§. possunt. §. Instit. de Testament. ordinand. l. ad testium 22. §. Si ab ipso D. eod. l. si unus 12. in princ. C. eod.* (6) Ut testator ipse subscribat, si novit literas & alius testamentum scripsit. *d. l. jubemus.* Si vero ipsemet manu propria Testamentum scripsit, non est necesse ut Nomen suum subscribat *l. cum antiquitas 28. in fin. C. eod.* Sed si literas porfus ignorat, tunc debet adhibere octavum testem, qui suo nomine subscribit *d. l. hac Consultissima.* (7) Ut omnia fiant uno contextu in eodem loco & tempore, nullo acta extrinseco interveniente. *§. Sed cum paulatim 3. Institut. de Testam. ordinand. & Dd. Commun.* Non tamen ideo viriatur testamentum, si quis forte actus ad naturæ necessitatem intervenerit. *d. l. cum Antiquitas 28. vers. Si quid autem C. eod. Hiscè add. Constit. Maximiliani de Anno 1512. Römischer Königl. Mat. stät Ordnung/ zu Unterrichtung der offen Notarien/ wie die ihr Aempter üben sollen/ zu Cölln Anno 1512. auffgericht. tit. 1. von Testamenten.* Testamentum Nuncupativum dicitur, quando testator coram septem testibus Specialiter ad hoc rogatis, suam ultimam voluntatem exponit, atque declarat, & hæredem palam, omnibus testibus audientibus nuncupat seu nominat. *l. hæredes palam 21. D. Qui Testament. fac. poss.* Unde etiam Nuncupativum dicitur *gloss. in §. fin. Instit. eod.* & à Testamento solenni in Scriptis differt: quia ad ejus substantiam Scriptura & aliæ solennitates non requiruntur *add. Constitut. Maximiliani in Princ. ibi.* Das ander das gemeiner ist / das man allein durch mündliche Erklärung ohn Schrift oder ohn schriftlich Solennitet, auffzurichten pflegt / vnd darumb Nuncupativum denn ist ein außgesprochen Testament genandt wird / vnd seinem Wesen / vnd seiner Substantz nach keiner Schrift bedarff. Requiritur tamen ad tale Testamentum Legitimus numerus testium, videlicet septem Testes regulariter *§. Fin. Institut. de Testam. d. Constit. Maximil. vers.* Vnd sollen die Notarien auffmerckung haben / &c. & *vers.* Aber die Form eines Testaments. Item quod sint Specialiter ad hoc rogati *d. l. hæredes palam 21. D. Qui Testam. fac. poss.* Item Puberes & liberi homines

mines



mines non prohibiti esse testes de quibus. §. 6. vid. & seqq. & ibi.
Dd. Inst. de Testam. ordinand. Quandoquē tamen in certis casi-
bus à jure expressis prædictæ Solennitates remissæ sunt ita quod
testamentum minus solenne valeat: Et quidem (1) In testamen-
to facto à parentibus inter liberos ex justo matrimonio procrea-
tos. l. ult. C. fam. eriscund Ibi. etiamsi solennitate LL. hujusmodi Di-
spositio fuerit destituta & c. l. hac Consultissima 21. §. ex Imperfecto. 1.
C. de Testam. Ratio hujus sententiæ hæc est: quod in Testamen-
to Paterno, inter liberos non attenduntur dispositiones Juris
Civilis, quæ ideo ut fraudibus obvietur, sunt introductæ l. fin. §.
cum enim. C. de fidei commiss. Sed tantum Juris Sent. confide-
retur, & sic de voluntate patris quærat, an illa perfecta sit, nec
ne; non de Solennitatibus arg. N. 107. cap. 1. Geil. 2. obs. 12. Schneidw.
ad §. 4. Inst. de test. ord. Speckb. cap. 1. quest. 47. & 48. Arum. disput. 7.
Exerc. 12. Fachin. lib. 4. Controv. cap. 1. Et hæc vera sunt etiam de
Testamento condito inter Legitimos, sive per matrimonium
subsequens arg. c. tanta 6. x. Qui sit. st. legit. sive per rescriptum
Principis. Imperiali enim rescripto qui Legitimi facti sunt, iis-
dem juribus fruuntur, quibus cæteri ex legitimo matrimonio
procreati Nov. 89. c. & quorum variè. 3. Et add. Hartman Pistor. lib. 1.
quest. 1. num. 2. Fachin. lib. 4. cap. 4. Hænon. disput. 7. Instit. Controv. 2.
(2) In Testamento rusticorum sufficiunt quinque testes l. fin. C. de
testament. add. Constit. Maximilian. sup. alleg. §. Vnd sollen die Nos-
tarien auffmerckung haben / & c. ibi. Item: Auff dem Gaue / wo Ba-
werleute Testament machen / vnd mehr Zeugen nicht zu bekommen
seyn / auffss wenigste fünff Zeugen. (3) Testamentum oblatum,
Principi, vel factum apud acta Judicii valet, licet in eo non sint
descripti septem testes l. omnium 19. C. de Testament. arg. l. Sanci-
mus 27. ibid. & hoc vel per testes idoneos, vel inter acta manife-
staverit. C. eod. Quia testium solennitates ideo in testamentis
requiruntur, ut tanto majorem sinceritatem illa obtineant, nec
fraus aliqua circa ea committatur. §. Sed his omnibus. 4. Inst. de
Testament. At vero cum Principi aliquod testamentum insinua-
tur, nulla omnino fraus est metuenda: Quia Princeps præsu-
mitur justiciæ plenus argumen. l. Prator. ait. 2. §. meritò 10. D. Ne
quid

*quid in loc. publ. Myns. c. 6. obs. 29. Fachin. lib. 6. c. 69. Hænon. Disp. 7. con-
trov. 3. (4.)* In Testamento tempore pestis facto, aliquid quoque
de jure relaxatum est : Non tamen prorsus reliqua Testamen-
torum solennitas perempta est ; Et quamvis tali tempore, testes
sociari remissum sit, non tamen proinde testium numerus de Jure
civilis sublatus est *text. notabil. in l. casus majoris 8. C. de testament.*
*Bronch. cent. 2. miscell. contr. assert. 12. Fachin. lib. 5. contr. c. 92. Hæ-
non. Disp. 20. thes. 11. Hænon. d. disp. 7. contr. 4 (5.)* In testamento
ad pias causas facto duo testes adhibentur. *c. cum esses 10. c. relatum.*
*11. & ibi. Canonist. X. de testam. Treutl. vol 2 Disp. 10. & Dd. ibid. alleg. ubi
de hac materia plura videri poss. ad d. Schneidw. ad tit. Inst. de testam.*
ordinand. Testamentum militare est, quod fit à milite armato in
castris, & expeditionibus degente, diciturque Privilegiatum, o-
missis testamentorum solennitatibus *princ. & s. planè 1. s. sed ba-
etenus 3. Inst. de militar. testam. l. 1. D. eod. l. pen. & ult. C. ibid.* Ut autem
Jure militari quis testatus esse dicatur, antè omnia requiritur ut
Nomen suum apud Ducem belli professus, & in numeros relatus
sit. *add. gloss. ad rubr. Inst. de militar. testam. & ibid.* Unde qui numeris
non sunt, licet publicis expensis iter faciant, milites dicendi non
sunt nec jure militari testari possunt. *l. hic eo tempore 42. D. de testam.*
milit. In testamentis ordinandis supra dicta diligens observa-
tio militibus, partim propter nimiam imperitiam juris atq; sim-
plicitatem *l. quamquam 3. C. de testam. militar. l. 1. C. de jur. & fact.*
ignorant. princip. Inst. de testam. militar. Partim ob periculum,
cui pro Reipubl. commo sint expositi, dum hostem à finibus
arcent, malaque propulsant *l. 1. s. miles. l. ibid. id est à duritia, quam
pro nobis sustinent D. eod.* Constitutionibus Principum remissa
est. Quamvis enim neque legitimum numerum testium adhi-
buerit, neque aliam testamentorum solennitatem observaverit,
sed quoquo modo voluntatem suam supremam, sive scriptam
sive sine scripturâ reliquerit, rectè nihil omnino testatur *princ.*
Instit. d. tit. de Recept. Imperat. d. Anno 1512. tit. Von Testamenten 6.
*Vnd sollen die Notarien in sin. ibi: Aber die Ritter die in vbung des
Streits sind mögen ihr testament machen ohne alle solennitet vund
Form/ vnd wie sie wollen. Quod tamen cum distinctione acci-*

C

prien-



piendum est. Aut enim miles testatur in hostium congressu & sic in extremo vitæ periculo, & tunc licitum est ei testari, quocun- que modo vult, & potest *d. l. vers. faciunt. D. de testam. militar.* & nullæ solennitates requiruntur, adeò ut si in vagina, aut clypeo aut quâcunqve aliâ materiâ sanguine suo annotaverit, aut in pul- vere gladio scripserit, quod post mortem suam fieri velit, nullo teste rogato validum sit testamentum *l. milites 15. C. eod.* Aut testa- tur in castris, non tamen in conflictu hostium, sed forè ægrotus; & iterum non requiritur solennitas Juris Civilis, sed valet quo- cunqve modo factum fuerit Testamentum, dum modo constet, de ipsius voluntate; Ideò debet isto casu adhibere duos testes ad id vocatos *§ plane. 1. ibi. convocatis ad hoc hominibus. Inst. de mili- tar. testament. l. Lucius 40. l. Divus 24. D. de Testament. militar. sumpt. argum. l. ubi numer. 12. D. de testibus. l. 9. §. 1. C. eod. vide omninò Rein- bard Bachov. ad. d. § plane 1. Inst. dict. tit. Clar. 3. Sentent. §. Testamentum quæst. 58. vers. item quæro.* Et hæc ita procedunt, quando milites in expeditionibus occupati sunt. Illis autem temporibus, per- quæ extra expeditionum necessitatem in aliis locis vel suis adi- bus degunt, minimè ad vindicandum tale privilegium adjuvan- tur, sed testari quidem propter militiam possunt, jure tamen communi eadem observatione & in eorum testamentis adhiben- da, quam in testamentis Paganorum supra exposuimus *d. pr. no. vers. Illis autem temporibus. Inst. de Testam. militar. d. Recess. Imp. tit. Von Testament. §. Super in fin. ibi.* Aber die Jenen Ritter / So nicht in solcher Übung und Streit / noch auch zu Felde liegen / sollen Ihre Testament nach gemeinen Rechten machen. Quando verò miles in castris jure militari fecit Testamentum, & reversus do- mum, ibi debitum Universæ carnis persolvit, si infrà annum post missionem decedat, tale testamentum valet, aliàs non. Et quan- do hæres sub conditione à milite est institutus, quæ conditio & si post annum demùm extiterit; nihilominus debetur hæreditas Hæredi scripto & instituto, quia conditio retrahitur ad tem- pus conditi Testamenti *§. eod. hætenus 3. vers. quid ergo. Inst. de milit. testam. l. quod dicitur 38. in pr. D. eod.* Sed si quis ante militiam non jure fecit Testamentum. Et miles factus, & in expeditione degens

degens resignavit illud, & quædam adjecit, sive detraxit, vel ali-
âs manifesta est militis voluntas hoc valere volentis, dicendum
est, valere hoc testamentum; quasi ex novâ militis voluntate, b. e. ut
perindè sit & habeatur, ac similes id de novo & in ipsâ militiâ fe-
cisset §. sed & si quis 4. Inst. diēt. tit. l. idemq. 9. §. 1. l. tribunus militum. 20.
D. eod. Hoc privilegium etiam nostri temporis militibus, ideo
competit quia rationes pro militibus Romanis supra adductæ
in militibus nostris locum obtinent. Vand. lib. 1. quæst. 55. Arumn.
disp. 7. exerc. 18. Wes. nb. Consil. 17. part. 1. n. 32. Bocer. tract. de jure belli &
duelli. lib. 1. cap. 28. Harpprecht part. 1. Disp. 20. th. 12. in fin. Imo etiam
limitaneis & præsidariis, eo casu, quo ad præliandum sunt expe-
diti. arg. l. ne quidem. 17. C. de Testam. milit. & ib. Gothofred. Propter
subita enim pericula censentur in expeditione occupati. Bocer. d.
loc. & class. 2. Disp. 2. th. 60. Corman lib. 9. Commentar. Jur. c. 5. non au-
tem togatus, ut Doctoribus & Advocatis. Turpe enim est cau-
sas oranti, jus in quo versatur, ignorare l. 2. §. 43. D. de B. Jur. vid.
Donell. 6. Comment. ult. Schneidw. ad pr. Inst. de Testam. n. 12. Hænon. disp.
7. Inst. controvers. 12. Sed de hac materiâ plura vidend. in tit. Inst. & C. de
testament. milit.

Pleniùs Voluntates testamentium interpretantur.] Pleniùs nihil
aliud est, quam benigniùs, largiùs, liberaliùs, non strictè, non an-
gustè & avarè. Exempla hujus regulæ, quæ specialiter ad testa-
menta & legata pertinet, varia in jure reperiuntur. Hinc adium
usu mulieri legato, mulier non tantum maritum. Sed etiam
socerum, liberos, parentes, Inquilinos, atqve etiam hospites re-
cipere potest. l. caterum 4. §. mulieri. 1. l. imo & Socer. 5. cum duabus seqq.
D. de Usu & habitat: Eodem quoque modo vino legato, vasa quo-
qve legata censentur. l. si cui vinum legatum sit. D. de tritico, vino, vel
oleo legat. non quia pars sunt vini vasa, sed quia credibile est men-
tem testatoris eam esse, ut voluerit accessioni, vino esse ampho-
ras: quandoquidem id, quod liquidæ materiæ est, quia per se
esse non potest, rapit secum in locum accessions id, sine quo es-
se non potest l. num. quod liquide 4. D. de penu legat. Excipiantur
tamen dolia, sive vasa majora, quæ ad perpetuum usum fundi re-
servantur l. vino legat. 14. cum l. seq. D. de tritico. vin. vel ol. legat. Smi-



liter alimentis legatis, non solum cibaria sed etiam habitatio, & vestimenta intelliguntur legata; quia sine his ali corpus non potest. Cetera quæ ad disciplinam pertinent, legato non continentur. *l. legatis alimentis 6. D. de aliment. vel cibariis legatis.* Plura exempla extant apud Regulist. *hic. vid. Petr. Fabr. ibid.* Quod verò hoc dicitur de testamentis, dicitur, id quoque ad secundas tabulas, & ad codicillos interpretatione iusta extendi potest. Cum utraqve ex testamento pendeant, & pro testamenti parte habeantur. *l. pen. D. de Testam. quemadmod. aperiuntur l. quidam 14. D. de Jure Codicill. ibi. collectio illa est, quod Codicilli pro parte testamenti habeantur, observationemq; & legem Juris inde traditam servant. l. Patris & filii 20. D. de vulgar. & pupillar. substit.* Huc pertinet vulgarissima illa Juris Regula, in contractibus plenam, in testamentis plenioram, & in beneficiis principum plenissimam interpretationem fieri debere. *c. cum dilecti 6. X. de donationib.* Quamobrem autem in testamentis, plenius quam in contractibus voluntatem loquentis aut scribentis accipere debeamus: *quæritur?* Certe idè Testamentorum verba plenius accipere solemus, quia semper credimus aliquid defunctum voluisse & tamen non rogasse *text. notabil. in c. Si Sponsus 5. Si quis rogatus sit 15. D. de donat. inter Vir & Uxor.* Vel quia plerique grati esse volunt cum moriuntur, singulorum perpendant officia, id agunt in omnem vitam suam memoria decernente, ne cuius officii videantur obliti; & quamvis nihil supersit, quo spes porrigatur, in illo tamen cardine positi abire, è rebus humanis quam gratissimi volunt. *Petr. Fabr. ex Senec. lib. 4. de benefic. 22.* Præterea cum Reip. expediat suprema hominum judicia exitum habere *l. vel negare 5. D. Testam. quemadmod. aperiuntur l. 1. in pr. D. si quis omiff. caus. testam. l. 1. C. de SS. Eccles. Nov. 22. c. 2.* Laborandum est ut in obscuro magis valeant, quam ad nihilum recidant, defunctorum voluntates, & plenius, id est largiùs aliquantum interpretandæ sunt. Neque huic Regulæ obstat: *l. semper 9. §. per. b. l. nummis 75. D. de legat. III.* Voluntas enim testatoris, plenioram interpretationem meretur, quando ex conjecturis magis, quam verbis testamenti voluntas testatoris liquet, quo casu verba ita interpretanda sunt ut voluntati testatoris convenient, atq; congruam

gruant. Quod si vero de testatoris mente non constiterit propria verborum significatio retinebitur, & si propria ista significatio duabus pluribusve summis accommodari possit, tum demum *d. l. 9.* locus erit, atque isti interpretationi stabitur, quæ summam minimam continet *d. l. 75.* Quemadmodum hoc in præcedenti *Disputat. atq; Enodat. leg. 9.* pluribus declaravimus. Neque etiam nobis negotij aliquid facere potest. *l. cum servus. 39. §. suo 6. D. de legat. 6. ubi dicitur. Si quis duos fundos habens ejusdem nominis, suum legaverit, nec apparet de quo sensit testator minoris pretij fundum deberi.* Quia prædicto casu legatum ex mente testatoris accipitur de fundo minori, qui non creditur voluisse hæredem bifariam gravare: primùm videlicet ut legatum solveret, deinde ut majorem rem daret. Legati enim præstatio plerunq; eatenus interpretanda est, ut quàm minimum oneret hæredem *arg. l. unum ex familia 67. §. si rem tuam 8. D. de legat. 11.* Alioquin legato generaliter relicto laxior sit interpretatio de re mediæ valoris danda *l. legat. generaliter relicto 37. princ. D. de legat. 1.* Similiter cum regula hac non pugnat *l. cum hi 8. §. qui transfigit 12. D. de transactionib.* Ubi vestiarius & habitatio ab alimentis separantur, cum tamen alimentorum appellationem non cibario solum sed & vestitus atq; habitatio contineantur *l. legatis. 6. D. de aliment. vel cib. legat.* Quoniam eo loci de interpretanda ultimâ voluntate non agitur, sed de futurorum alimentorum transactione **JCTUS Ulpianus** loquitur, quæ ex oratione Divi Marci strictè interpretandam esse scribit, ne si pleniùs illa accipiatur testantium voluntates evanescant atq; alimentarii suo beneficio priventur. *Philipp. Matth. hic: circ. finem.*

TANTUM.

C 91

COROL-



COROLLARIA.

I. Crimen læsæ Majestatis Theologi nostrates minimè in imperatorem Romanum committunt, quando Pontificem Antichristum publicitus proclamant. Quia 1. hoc nihil moluntur contra summam Imperatoris potestatem, 2. Nulla assertio verbalis absqve intuitu operis aut facti infert crimen læsæ majestatis. 3. Nec animum tunc dolosum nec intentionem offendendi Imperatorem habent. 4. Non sunt subditi (quâ Theologi Luth.) Imperatoris vel Procerum. 5. Id ratio officii, amor ac zelus orthodoxæ Religionis exigit. 6. Pontificii Lutheranae Religionis addictos dicendo hæreticos, aliaq; in ipsos jaciendo convitia adversus Principes & status Imperii Evangelicos crimen læsæ majestatis haud committere dicuntur. 7. Hoc fit permittentibus, approbantibus & consentientibus Imperat. &c. *videatur Magnif. Dn. Carpz. in vind. Theologor. Lutheranor. c. 2. D. Fibig. elector. jur. publ. semidec. 12. quest. 1.*

II. Jus primogenituræ ut antiquissimum, ita & æquissimum Hieronym. in cap. 49. Genes. *Tiraquel de jure primogenit.* Imò tam firmum est ut testamento patris, filio natu primo auferri nequeat. Quia 1. jure divino *Deutern. 21. vers. 15.* cautum est. 2. Primogenitus id jure naturali habet, cum ipsum natura primogenuit. 3. jure publico statutum & observatum est *vide Paleot. de majorat. p. 2. princip. 46. & 59. Covarr. lib. 3. var. resol. Cap. 6. n. 7.*

III. Doctores cum Nobilibus in effectu iisdem gaudent privilegiis. 1. Portant enim sine speciali Imp. permisso insignia nobilium, *Wappen mit offenem Helm. Camman. de jur. Majest. disp. 3. n. 64.* 2. Vestes & aureas catenas gestant unà cum Nobilibus in genere. *Policey ordnung de anno 77. tit. 11. §. 1. & tit. seq. P. O. de anno, 30. §. Und so einer. ibi. Und so einer eines Fürsten Hoffmeister / Cansler / Marschalek / oder Rath vnd doch nicht von Adel / der mag sich / sampt seinem Weib vnd Kind denen von Adel gleich tragen.* 3. In camera paribus cum Nobilibus fruuntur stipendiis. *Ordinat. Camer part. 1. c. 43. verb. Einem Doctor. &c.* 4. Acceptantur loco nobilium, maximè si Nobiles non extant idonei. *Ordin. cam part. 1. tit. 3. §. 2. in fin. R. A. zu Speier. de anno 57. §. Weiter nach 18. Videatur prolixè D. Jaf. Nolden. de stat. Nobil. civili eorumq; privilegiis cap. 5. concl. 38.*

Ad

Ad
Præstantissimum Dn. Respondentem,

MELCHIOREM DREILINGIUM,
Convictorem suum.

L Audis severa si quis uritur voto,
Mentemq; magnis applicat, tenebrosas
Sordes perosus & cupidines vulgi
Humi vagantes, hic nec otio turpi
Somnoq; mersus perdit optimam aetatem;
Nec per popinas abditus nepotatur
Venti omne donans, quicquid aut pater durus,
Aut avia parsit, patruivè cor frugi;
Sed (sive doctis consecraverit Musis
Primum vigorem, dum genu viret lave,
Animusq; gliscit, latus & sui plenus;
Seu castra miles adiit, ere non molli,
Munitus artus, lato & ense præcinctus)
Sibi acer instat, nec remittitur grato
Labore gaudens, & suam premit curam.
Sæpe ille totis noctibus vigil durat,
Sæpe integras sudando distinet lucas,
Juxta quietis læta & immemor mensæ
Perfringere ardens, quod moratur & sistit
Ruentis æstum, donec omnium victor
Pigris negatum liber occupet culmen.

DREILINGE macte! quæ tibi faces subdit
Cupido nobilis, impetusq; non-lenis,
Ut discere aveas, quicquid uspiam est pulchri,
Viroq; dignum non inaniter docto;
Tum, qui gerendis se negotiis possit
Natum putare, non scholæ atque secessu,
Haud te sinet jacere læcis expertem.

Caf.



*Cassumq; bonore; sed locabit in summo
(Modò Numen adsit & secundet incepta;
Nec fila rumpant, quæ tibi trahunt vitam.)
Ingens facturum patriæ & tibi lumen.*

Augustus Buch nerus.



QVI Ductrice bonâ polos Themiste
Astræ subeunt, & Eunomiæ
Se tradunt; hominum merent *amorem*,
Et captant titulum *Viri Beati*.
Sed qui scita DEI legunt sacrata,
Nec non scripta Patrum legunt beata,
Ac illis animum levant trementem;
Illi Cœlituum merent *favorem*,
Et nomen capiunt *beatiorum*.
Sed qui fulcra suæ piæ salutis
E Jovæ atq; Patrum locare scriptis,
Ac illis superaddidere Divæ
Et claræ Themidos secreta jura;
Illos Cœlicolæ beant *favore*,
Illos Tenicolæ beant *amore*,
Illos *terq;* magis vocant *beatos*.
DREILINGI parilem polo mereris
Famam, Tu parilem solo mereris
Laudem. *Qvis tibi deneget favorem?*
Ecqvls (qvæso) negetq; amorem?
Qvivilis te vocitat virum beatum.
Qvivilis te vocitat beatiorem?
Qvivilis te qvoq; maximè beatum.

Benevolentia

ac

amicitia

ergò

Heinricus Coselius
de Pezlinovez. J.U.D.



X 2615918

VJ 17







710d

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE!
ENODATIO
LEG. XI. XII. TIT.

12
1646
2
12

PANDECTARUM
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ
convenientibus illustrata, & ad disputandum

In Celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,
Ex decreto atq; Authoritate Amplissimi
Collegij Juridici proposita,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO
de Pezlinovez J. U. D.

Respondente

MELCHIORE DREILINGIO
Rigenſi,

Habebitur

Ad diem Septembris,
horis & loco conſuetis.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
ANNO MDC XLVI.

